

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ra. Sigismundus Poloniæ Rex, qui superiore autumno in Sueciam, ex portu Dantiscano trajecit, die 27. Januarii proximo, Rex Sueciæ coronatus est, à legato Pontificis Romani, Malaspina opinor, quem secum adduxerat Christianus IV. Daniæ Rex, octodecim annorum Adolefcens, sequenti ætate coronandus dicitur. Stiriæ & Carinthiæ Chorographias habeo: Si Croatiæ etiam, & Bosnenfis regionis tabulas habes, quæso, ut bona fide remissuro, commodes, & quot milliaribus Carolstad, à Græcia & Clagesurdo distet, & in qua regione sita sit, significes. Benè vale. Postridie Matthiæ. Anno 1594.

David Chytræus.



XXXIII.

Sal. in Christo Servatore.

BInas tuas literas hesternæ die accepis, Reverende & Clarissime Domine Doctor, Amice & frater in Christo honorandè, quæ mihi pergratæ fuerunt, quod significarent, te jam *ἀναπίδομα* adornasse, ad putidas *φλυαρίας* turpissimi apostatæ Pezelii. Eas jam pridem non sine stomacho obiter duntaxat legi, & quod te perfecisse intelligo, fieri optavi. Nondum autem hic responsum tuum vidimus: quod ubi Scutgardia acceperimus, illud sine mora (volente Deo) in nostro Collegio, more veteri perlectum, typographo ut tradatur & prælo subjiciatur, curabo. Gruppenbachius, scio, difficilis est in polemicis excudendis, quod perfidia bibliopolarum, præsertim Saxoniorum pauca exemplaria in nudinis distrahantur: cùm interim plura nostrorum scripta in istas regiones septentrional. spargi per literas expetant. Te autem pro veteri nostra conjunctione rogo & obsecro, ne cesses perfidissimum hunc apostatam eruditus tuis scriptis persequi, ejusque diabolicas imposturas, quibus in aliis etiam scriptis lectori imponere studet, Ecclesiæ Christi patefacere, ut bestia illius pudendæ chartæ despectui sint omnibus. Bene vale, Reverende & clarissime Domine Doctor. Collegæ mei honorandi tibi plurimam salut. adscribunt. 4. Julii. Anno 74.

Clariss. virum, D. D. Pappum, reverenter salutati, & de responso ad meas literas Collegii nostri nomine moneri peto.

T. in Domino frater

Gerlachius, D.

XXXIV.